

1500 rone se Pylon euestigio contulerunt, oppidumque munierunt.

Sed jam vallo ad Cephallenem excitato, uti de superiore loco nostri in oppidum introspicerent, duces oppugnare, quibus a partibus poterant, uno tempore sunt adorti, eo uterque animo, eaque cura, ut utrius plures essent eo in bello partes, non facile dignosceres; Consalvusque civis esse Venetus & ipse videretur. neque ejus quidem milites ullo in munere a nostris se militibus relinqui sustinebant; homines duri, parcoque victu assueti, & cum audaci in primis virtute, tum maxime habiles qui oppidorum oppugnationibus adhiberentur. Ea in aggressione Marcus Orius navium onerariarum præfectus, una cum Hispano homine impigro, quem ei Consalvus muneris socium dederat, militesque aliquot se in muro atque munitionibus primi omnium illatis signis ostenderunt: Ea re hostes perterriti, cedere, seque recipere in arcem oppidi cum vellent, irrumpentibus omni ex parte reliquis, cæsi captique sunt, præter paucos, qui se primo impetu in arcem intulerunt, qui tamen paulo post se Consalvo dediderunt, cum Venetorum iram, quos & ipsi sæpius elusissent, & rex eorum maximis incommodis affecisset, non injuria pertimescerent.

*Cephallene
capitur a
Venetis
prid. kal.
januar.*

1501

Cephallene in reipublicæ ditionem anni exitu redacta, oppido Aloisius Salomonius, arci Joannes Venerius, toti insulæ Franciscus Leo a Pisauo sunt præfecti dati in annos duos. Arx etiam ut multo communitior fieret, institutum. Missaque Pylon navis oneraria magna, qua in navi Coronæi, qui cum familiis eo venerant, Cephallenem adveherentur: nam quod eam insulam propter bonitatem agrorum maxime esse feracem intelligebant, & illi, qui libere Pylo exire atque agros colere hostibus Methonem obtinentibus non poterant, & multi præterea homines Turcas perosi, eo ad incolendum e continenti commigraverunt. quam quidem ad rem portus perampli perque optimi facultas, quo nullus est eo toto mari fere præstantior, magnum adjumentum afferebat. Itaque parvo temporis spatio a magna est advenarum multitudine colli cæpta, cum per biennium a classibus reipublicæ vexata, cultoribus infrequentior fuisset.

Illis